

XXXVII. Hæc Zypæus, qui rectè ibidem monet num. 7. "In privilegiis diverſimodè reſtrictis non facile eſt hodie invertenda poſſeſſio, ſive religioſi ſint in poſſeſſione immunitatis; ſive alii in poſſeſſione decimas percipiendi. Ea enim poſſeſſio argumento eſt, caſum ſeu feudum, de quo agitur, ſubjectum eſſe privilegio, vel non eſſe, vel privilegium receptum eſſe ibi, vel non eſſe.

XXXVIII. Quin in dubio pro ſolutione decimarum judicandum ſit, dubitari nequit; cum certum ſit jure communi, omnes etiam Religioſos ſaltem Curam animarum non habentes in Parochia, decimas ſolvere debere; quod & multo magis obtinere debet, ſi præ tendatur exemptio à decimis ultra privilegia Corpori Juris inſerta; & contra Eccleſiam Parochialem, cui de jure decimæ debentur.

XXXIX. Cum autem ad eò clarè in jure ſit expreſſum; imò & ipſum Ciftercienſium Statutum exprimat & ſupponat immunitatem à decimis, de non extendere ad terras ſive poſſeſſiones, quas aliis excolendas tradunt non facile privilegium poſteriori ad earum immunitatem admittendum.

Unde refert Claudius le Preſtre in ſua Atreſtorum collectione Cent. 3. cap. 26. plura eſſe arreſta quibus judicatum fuit, privilegium Ciftercienſium de non ſolvendis decimis è terris quas propriis manibus colunt, non extendi ad terras quas aliis excolendas tradunt. Hæc arreſta notantur apud Broudæum ad Lovetiũ Litt. D. n. 57.

XL. Monet nihilominus ibidem Broudæus, poſt tempora horum arreſtorum, Ciftercienſes alioſque nonnullos Ordines obtinuiffe Litteras patentes Ludovici XIII. Regis Galliarum anno 1620 confirmativas Bullarum Eugenii III. aliorumque Pontificum, quibus annuntur immunitas à Decimis è poſſeſſionibus, quæ ſunt de fundatione, dotatione & dominio Abbatiarum dictorum Ordinum, tam pro illis quas colunt propriis manibus, quàm illis quas ſuis colonis excolendas tradunt. Quæ litteræ eodem anno in Parlamento ſimpliciter admiffæ & probatæ fuerunt. Teſtaturque Broudæus conformiter ad has litteras judicatum fuiſſe, præmiſſo exacto cauſæ examine & diſcuſſione, in favorem Abbatis & Conventus Clarevalleſis Ordinis Ciftercienſis, de non ſolvendis decimis è ſuis terris, quamdiu eas vel propriis manibus colerent, vel aliis excolendas elocarent, elocatione non excedente terminum novem annorum.

XLI. Itaque in his privilegiis, uti in tota materia decimarum, multum attendenda poſſeſſio & uſus, præcipuè antiquus; multumque in ſuper attendendum privilegii, ut ita ſuis privilegiis utatur, ne Eccleſiæ præfertim Parochiales, quibus de jure decimæ debentur, nimium graventur. Quare Rectè monet Zypæus loco citato num. 2. "Quod ſi præter commune dubium accedat ſpecialis tenuitas Parochi, eo magis res ad compoſitionem urgenda eſt; quia nimis eo loci incipit privilegium eſſe nocivum: & ſic arbitrio boni viri reſtringendum, & quidem ſic, ut congrua portio Parochi maneat, & congrua liberaliter.

XLII. Qualiſcumque immunitas Ciftercienſibus aliiſve Religioſis vi privilegiorum competat, hoc ſatis conſtat, eam dumtaxat perſonalem eſſe: neque poſſeſſionibus aut rebus inhære, Quapropter ſi partiaris colonos habeant, pro portione colonorum decimæ eſſent ſolvendæ, tametiſi immunitas Ciftercienſium ad eum caſum ſe extenderet: quia non niſi portionem Ciftercienſibus competentem eximere poſſet.

Hæc conforme eſt privilegium Alexandri IV. quo ex tate inter munita Monafterii S. Bernardi ad Scaldium reſtatutur Zypæus loco citato num. 6. quo privilegio conceſſum eſt, "Ut ſi animalia dederint in ſocietatem, de ſectibus decimas non ſolvant, quoad eam partem quæ eos contingit.

Hoc fundamento anno 1602, adjudicata fuerunt decimæ Parocho è terris quas quidam laicus emerat à quodam Monafterio Ordinis Ciftercienſis; tametiſi ex terris quamdiu pertinuerant ad Monafterium, numquam decimæ ſolutæ eſſent: imò & cum Parocho concordatum in initum eſſet, quod pro omni decima quæ prætendi poſſet ex terris illis defungeretur Monafterium ſolutione 30 ſtuferorum. Dicitur enim ſuiſſe privilegia, uti & tranſactionem occaſione illorum in initum, eſſe intelligenda pro tempore quo Monafterium terras illas haberet, & ut propriis uteretur: ac per conſequens privilegium immunitatis Ordini conceſſum eas à decimis eximere poterat Vide Choppinum De S. P. lib. 3. tit. 1. num. 8.

XLIII. Flavius Cherubinus in Compendio Bullarii in Gregorio XIII. cap. 51. agens de Billa hujus Pontificis, qua privilegium immunitatis à decimis conceſſum Societati Jeſu renovat & ampliat cum derogatione peccati Concilii Lateranenſis de quo in Cap. 34. De Decimis, quarit ibidem Scholto ſecundo, "De quibus decimis Societatis exemptiones intelligantur? dein reſpondet: De illis, quæ Parochis, vel aliis perſonis, aut Collegiis, ex juris communis diſpoſitione debentur, & non de his, quæ jure ſpeciali ex aliqua particulari conſeſſione, & privilegio debentur, maxime ſi ex cauſa oneroſa, & ex quaſi contractu Principis. "Additque ita anno 1598. cenſuiſſe Rotam Romanam. Idipſum indicat Covarruvias lib. 1. variarum reſol. cap. 17. num. 14. rationem addens: "Ex eo quod hujus quaſi poſſeſſionis, ſummus Pontifex ignarus eſt, nec ejus mentionem in privilegio fecerit, & ideo eam tollere non voluerit.

Refertur quoque in regiſtro MS. Archiepiſcopatus Mechlinienſis, pronuntiatum fuiſſe unanimi ſuffragio in Parlamento Mechlinienſi anno 1633. pro Capellanis Capellæ Regiæ, privilegium Ciftercienſium de non ſolvendis decimis non comprehendere decimas alicui competentis ex ſpeciali fundatione.

CAPUT VIII.

Quomodo Decimæ ſolvendæ?

1. Decima in ſua origine ſunt ſpecies oblationis.
2. Admonendus populus ut liberali ac grato animo decimas ſolvat.
3. Hic meritò applicatur quod de oblationibus dicitur.
4. Solutio decimarum debet fieri ut ſacrificium Deo gratum habetur.
5. Agrè populus hodie ad decimarum ſolutionem adducitur.
6. Ratio illius videtur iniqua decimarum diſpenſatio.
7. Attento hodierno decimarum uſu non mirum, ſi populus decimarum ſolutioni agrè acquieſcat.
8. Ob iniquam & injuſtam decimarum diſpenſationem populus decimas negare non poſſet.
9. De jure communi decima pars fructuum ſolvenda.
10. Conſuetudine introduci poſſet ut minor quota quam decima ſolvatur.
11. Quare hæc minor nihilominus decima vocetur.
12. Solutione quotæ etiam minoris per conſuetudinem introducta jatiſſe integræ decimarum ſolutioni.
13. Decimæ ſolvendæ ſine deductione expenſarum in collegendis fructibus.
14. Id procedit in decimis prædialibus, non autem perſonalibus.
15. Non deducuntur etiam expenſæ factæ in conſervationem aut meliorationem fundorum factæ.
16. Interdum ex conventionione Decimatores aliquid pro expenſis contrahere ſolent.
17. Imò & auctoritate publica ſubinde adiguntur.
18. Volunt Principes noſtri ut ſolita decima exactè ſolvantur; nec dicantur eſſe arbitrariæ.
19. Fructus decimales è fundis avehi non poſſunt priuſquam in manipulos & acervos collecti ſunt.

20. Debent

20. Debent quoque præviè maneri Decimatores, ut determinato tempore adſint decimationi.
21. Eadem & in Gallia ordinata ſunt.
22. In Gallia frequenter judicatum, decimas in ſpecie ſolvendas eſſe non obſtante contraria conſuetudine aut conventionione.
23. Idipſum ibidem reputatur pro firmo principio in materia decimarum.
24. Non ubique, nec etiam in Belgio id tam rigoroſè obſervari videtur.
25. Quomodo & quando ſolvenda decima ſatum animalium.



Decimas in ſua origine, & primitiva institutione eſſe quamdam ſpeciem oblationis, qua populus partem honorum ſuorum temporalium Deo offerrebat, in Miniſtrorum ejus ac pauperum uſus impendendam ex dictis cap. 1. compertum eſt.

II. Et quamvis hodie decimæ non ſint amplius eo ſenſu voluntariae ut dependeat ab arbitrio populi eas offerre vel non offerre; ſemper tamen monendus & inſtruentus populus, ut liberali ac benevolenti in Deum affectu eas offerat: earumque oblatione Deum de ſua ſubſtantia honorare & quaſi ſacrificium voluntarium offerre fatagat; juxta illud Eccleſiaſtici cap. 3. verſ. 1. 12. & 13. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas. Da Altiffimo ſecundum datum ejus, & in bono oculo ad inventionem facito manuum tuarum: quonia Dominus retribuens eſt & ſepius tantum reddet tibi. Noli offerre munera prava, non enim ſuſcipiet illa.

III. Hic meritò applicatur quod de oblationibus monuit S. Carolus in Concilio Mediolanenſi IV. parte 2. cap. 15. "Quòd gratius autem Deo ſit quòd offerunt, ad præſtandum accedant Fideles intima animi pietate, ſpeciali hilaritate, ſancta charitate, omnique Chriſtiana devotionis teſtificatione.

IV. Hoc pacto fiet ut offerentibus & dantibus decimas ſuas dici poterit, quod iis jam pridem dixiſſe fertur S. Joannes Monachus apud Caſſianum Collat. 2. cap. 2. "Devotionem hujus oblationis... Gratanter amplector, quia fideliter primitias veſtras ac decimas indigentium uſibus profuturas velut ſacrificium Domino bona ſuavitatis offeritis.

V. Verùm quam agrè ac involuntariè & coactè decimæ à laicis frequenter ſolvantur; imò ab invitis & reſiſtantibus extorqueri debeant; quantaque laicorum murmura hic audiantur, notius eſt, quàm probari debet.

VI. Porò occaſio horum murmurum nec obſcura nec abſtruſa apparet; eamque rectè notavit Chriſtianus Lupus tomo 4. Schol. in Canones pag. 197. Poſtquam enim oſtendit, plures populos ſe primitus decimarum impoſitioni oppoſuiſſe; & "quòd interim ipſum (onus decimarum) omnis fere ſub cælo Eccleſia poſt magis, nas luſtas admiferit, ait: Ita tamen ut inſidam adminiſtrationem numquam ferè ceſſaverit culpæ populi, & ad verſus illam murmurare & recalcitrare.

Ut enim in litteris ad Alexandrum II. deplora: B. Petrus Damiani lib. 1. Epit. 10. "Quotidie Regales epulae, quotidie apparatus, quotidie nuptiale convivium, & unde refrigerare debuerant indigentes, rubentium tabularum recreant geſtatores. Et cum Epicoſopus diſpenſator, & promus debeat eſſe pauperum, ad eorum menſam aſſidentibus deliciis, alieni ruſtant; cum & illi, quorum eſt tota ſubſtantia procul excluſi, famis inopia contabescant.

VII. Et ſane quis miretur, populum agrè ad ſolutionem decimarum adduci; imò omni quâ poſſit arte &

Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.

modo ab earum ſolutione ſe ſubducere, dum videt eas non laborantibus in Vineâ Domini; nec ſeminantibus ſibi ſpiritualia impendi; nec pauperibus communicari; ſed pro majore parte in luxum otioſorum & ſuaviter viventium Clericorum abſumi: imò ex iis & illos, qui paupertatem & omnem in rebus terrenis ſingularem moderationem profitentur, paſſim ut opulentes hujuſ ſeculi Principes apparatus ducere, & ſplendide vitam in omnibus agere.

Non dubium, quin populus facile induceretur, ut hilari ac pio cordis affectu decimas ſuas offerret, ſi modò non verbis, ſed re ipſa oſtenderetur, decimas Deo offerri in uſum non otioſorum Sacerdotum, ſed operantium & laborantium; nec ut Sacerdotes aliique Decimatores inde ſuperbiant, lautèque & deliciòſè vivant; ſed Operarii Evangelici cibum ſuum acciperent; & reliqua in pauperes & pios uſus diſtribuerentur.

VIII. Superiorum eſt proſpicere, qua ratione tam iniqua decimarum diſpenſatio corrigatur, earumque rectus ac legitimus uſus reducatur. At ſubditorum & privatorum eſt, legibus & ordinationibus ſolutionem decimarum indigentibus ſe humiliter ſubjicere, & omni exactitudine ſatiſfacere; permittendo Decimatorum conſcientiis de illis prout oportet diſponere.

Neque enim ſubditorum aut privatorum eſt onera auctoritate publicâ impoſita recuſare, eo prætextu, quòd aliqui iis abutantur.

Unde meritò damnata eſt à Concilio Conſtantienſi hæc aſſertio: "Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & Parochiani poſſunt propter peccata ſuorum Prælatorum, ad libitum ſuum auferre eas.

Edicto Bleſenſi art. 49. expreſſè auctoritate Regis Galliarum declaratum fuit, proprietarios & poſſeſſores terrarum decimabilium non poſſe allegare in judicio, jus decimarum tantum eſſe ad beneplacitum.

IX. Cùm verò ad exemplum decimæ Moſaicæ ſive Legis Veteris hodierna decima primitus introducta ſit, etiam decima pars fructuum ſolvi debet, Cap. 1. De Decimis. Unde omnium Canonistarum conſenſu receptum eſt, quòtam decimarum eſſe decimam partem fructuum; niſi oſtendatur, quòd conſuetudo eam ad minorem partem reduxerit: quemadmodum notat Zypæus Conſult. 1. De Decimis; ubi unâ inquiri, quid ad introducendam talem conſuetudinem requiratur, Adde Antonium Fabrum in Codice lib. 1. tit. 2. Deſinit. 68.

X. Interim indubitatum eſt, conſuetudine introduci poſſe, ut minor quota fructuum debeat, vigetque hodie plerique in locis, ut undecimus dumtaxat granorum manipulus ſolvatur: imò & aliquibus locis duodecimus, imò vel minor; quæ conſuetudo, legitimè introducta & ſtabilita, indubiè ſervanda eſt.

XI. Et quamvis juxta has locorum conſuetudines minor quota, quàm decima ſolvatur: ſemper tamen decima dicitur ait Franciſcus De Roye lib. 2. Inſtit. Juris Canonici cap. 12. "Vel quòd illæ partes in locum decimæ ſuſceſſerint: vel quòd ad eam primò taxatum ſit ſacrum illud tributum, eaque frequentius obſervetur.

XII. Qui quòtam conſuetudine præſcriptam ſolvit, licet decima parte minorem, ad ſenſum Canonum & Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 12. De Reformat. decimas integrè perſolvit; quia Decreta illa intelligenda ſunt, de ſolutione faciendâ juxta ſtabilitam loci conſuetudinem, quæ vim legis habet.

XIII. Illud ad integritatem decimarum requiritur, ut nihil de quota decimarum detrahatur prætextu expenſarum aut onerum, quæ à proprietariis, aut colonis ſolvi & ſubiri debent: idque conformiter ad jus commune in Cap. 22. 26. & 28. De Decimis: ubi id clariffimis terminis deciditur: reſponderetque in citato Cap. 28. Innocentius III. "Quòd licet circa res acquiſitas vel factas de pecunia decimata, cum ipſæ venduntur, cre-

Yyy 3

damus

damus deducendas expensas, & de residuo, quasi de lucro decimas persolvendas, ut si vendatur domus aget, vinea, chibanus, molendinum, grex, aut quælibet mercies. Expensas tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis, ex illis, de quibus fructus proveniunt, non credimus deducendas, etiam si fuerint decimata: quoniam salva decima, fructus efficiuntur eorum, qui faciunt ipsas expensas.

XIV. Hic fat aperte Pontifex distinguit inter *lucrum* & fructus *civiles* de quibus decimæ *personales* de jure debentur; & fructus *naturales* de quibus decimæ prædiales solvuntur: ut illi non nisi deductis expensis debeantur; hi non deductis. Ratio distinctionis est, quod lucrum non intelligatur nisi quod superest deductis expensis; ut nec fructus, si *civiliter* considerentur; at fructus terræ non *civiliter*; sed *naturaliter* prout de terra nascuntur considerari debeant: ut observat Barbosa De Officio Parochi Cap. 28. n. 34.

XV. Addit Pontifex in citato cap. 28. "Nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimæ persolvuntur, credimus deducendas expensas, de proventibus decimandis: quia penes dominum res permanent restauratæ, ut si pars aliqua moriatur, armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus chibanus destruat."

XVI. Quamvis hæc ita de jure obtineant; neque consuetudo aut lex aliqua specialis Decimatores ad contributionem expensarum in fundos decimabiles obligare videatur; neque Carolus V. in Edicto 23. Maji 1531. ubi regulas præscribit, qui, quantumve ad aggerum reparationem teneantur, decimarum meminerit, uti observat Zypæus Consult. 1. "Nihilominus (ait Zypæus) ex æquo & bono ad animandos agricolas ad steriles miricas aratro subjiendas, glebas à vepribus & sentibus occupatas purgandas, sylvas inutiles excindendas, alveum & arenam à mari occupatum aggeribus circumductis continenti annectendam, aut insulam ripis littoribusque obfidendam, & culturæ mancipandam, solent, quibus jus est decimarum, cultoribus ad annos aliquot immunitatem decimarum, ex toto vel in partem tribuere pro gravitate sumptuum.

XVII. Quinimò si publicè expedit terras aliquas aggeribus cingi; idque sine magnis & notabilibus expensis fieri nequeat, interdum æquitas exigere potest, ut etiam auctoritate publicâ decimatores pro portione decimarum in aliquam partem expensarum vocentur, uti loco citato monet Zypæus.

XVIII. Sicuti autem Principes nostri sollicitè cavent, ut Ecclesiastici solitis decimis essent contenti; ita sub gravibus quoque pænis sanxerunt, ut decimis illis pacificè & sine ulla turbatione uti & frui sinerentur. Notanter Edicto Caroli V. de 7. Junii 1554. quod refertur parte 1. Edictorum Flandriæ lib. 2. Rubrica 12. & Philippi II. 6. Junii 1564. quod extat parte 1. Edict. Brab. lib. 1. tit. 5. cap. 5. vetatque expressè Carolus in hoc suo Edicto, ne quis dicat, decimas esse *meras* elemosynas ad arbitrium & beneplacitum populi solvendas.

XIX. Ut autem omnis fraus in decimarum solutione evitetur; atque ipsæ decimæ cum omni sinceritate & integritate solvantur; in iisdem Edictis cavetur, ne fructus decimabiles, nec ante nec post solis occasum furtim avehantur: neque priusquam in manipulos & acervos, juxta locorum consuetudinem, collecti sint.

XX. Uterius, ut non auferantur aut avehantur, priusquam idoneè denunciatum sit Decimatoribus eorumve commissariis in loco existentibus, fructus esse avectioni paratos, ipsique tempus & locum designaverint, quibus compareant ut videant manipulos & acervos numerari; qui si statuto tempore non adsint, permittitur colonis seu villicis fructus suos de fundo avehere, relicto ibidem manipulo vel acervo pro decimis debito,

XXI. Eadem in Gallia pluribus & iteratis Regiis Edictis cauta esse, referunt passim Pragmatici; notanturque in Actis Cleri Gallicani *tom. 3. parte 3. tit. 1.*

XXII. Referuntur & ibidem plura Parliamentorum arresta, quibus judicatum fuit, decimas esse solvendas *in specie*; ac signanter anno 1612. condemnati coloni solvere decimas *in specie*, non obstante possessione *immemoriali* solvendi vice decimarum certam quantitatem granorum, Id ipsum in contradictorio judicio conformiter ad conclusiones Advocati Regii judicatum 23. Aprilis 1641. non obstante consuetudine *immemoriali* solvendi pro decimis certam quantitatem pecuniæ. Et 9. Julii 1642. condemnati quidam solvere suo Parocho decimam vini *in specie*. Rursus 31. Martii 1664. condemnati quidam incolæ solvere decimam vini *in specie*, non obstante possessione plusquam centenaria & immemoriali solvendi dumtaxat quatuor asses in singula jugera vineæ. Imo anno 1665. judicatum, etiam decimas agnorum, lanæ aliaque minutas esse solvendas *in specie*; non obstante quacumque conventionione aut possessione contraria.

XXIII. Hæc omnia conformia Parliamentorum arresta, dubitare non sinunt, quin usus Regni Galliarum habeat, decimas esse *in specie* solvendas. Unde Michael Du Perray in tractatu de portione congrua parte 2. cap. 30. inter principia in materia decimarum juxta consuetudinem Galliarum recepta ponit hoc *num. 41.* Decima solvenda est *in specie*, non obstantibus quibuscumque conventionionibus & transactionibus inter Incolas Patrochiarum & prædecessores ipsius Curati.

XXIV. Ex Panormitano ad Cap. 32. *De Decimis* refert Choppinus De S. P. lib. 3. tit. 4. *num. 4.* "Quod à Germanis pensitari assolent quotannis certi ac definiti frugum acervi, quos nec augere fertilitas anni, nec minuire sterilitas possit. Addit præterea Choppinus, Slavorum item in regione, Aldenburgenfi præfulti designatum est decimæ vice annum vigesimal ex omnibus Vuagrorum, seu Obottitorum latifundiis; nempe quolibet ex aratro, grani mensura, & lini resticuli quatuor drageni, cum duodecim nummis argenteis; unus præterea nummus, pretii summam colligentis.

Similiter in Belgio in aliquibus locis usus obtinet, ut vel ex longæva consuetudine, vel conventionione solvatur vice decimarum præsertim *minutarum* aliqua determinata quantitas; quæ solutio nonnumquam præferenda solutioni hujusmodi decimarum *in specie*: eo quod hæc ob ejus incertitudinem & exilitatem sæpe quaestiones & difficultates parere soleat. Neque credo, usum solutionis decimarum *in specie* ita receptum, ut consuetudo immemorialis, aut conventio legitime facta ei contraria, in judiciis invalidaretur: & coloni aut proprietarii ad solutionem decimarum *in specie* non obstante consuetudine aut conventionione urgerentur. Et quidem expressè ait post Rebuffum Franciscus Tondutus lib. 1. *Questionum & resolut. cap. 7. num. 76.* "Valida videtur consuetudo, quod loco animalium solvatur certa pecuniarum summa nomine decimæ."

XXV. Notat quoque ibidem Tondutus quoad decimas animalium, si consuetudo habeat ut decimus vel vigesimus foetus solvatur, fideliter solvendū esse quidquid venerit decimum, vel vigesimum aut aliàs secundum consuetudinem numerum. Notatque, quod quamvis per longum tempus rustici animalia minutiora & deteriora Parocho, pro decima per dolum & astutiam præstiterint, talis consuetudo non sit legitima, nec recipienda.

Quod si discerni nequeat, quod sit decimum animal, vel secundum datam consuetudinem vigesimum, tunc nec de melioribus, nec de pejoribus solvenda erit decima, sed de mediocribus arbitrio boni viri: uti post Odradum *consil. 236.* observat ibidem Tondutus.

Adhæc, ut rectè post alios monet Tondutus *num. 6.*

non

non debetur hæc decima statim ubi nata sunt animalia, sed ubi non amplius indigent lacte materno; alioquin inutilia apud Ecclesiam remanent, & morerentur.


Quanto autem tempore proprietarius foetus decimabilem servare & nutrire debeat, pro regionum & locorum conditione determinandum esse, verius credit Germanus Forgetius in tractatu De rebus decimabilibus cap. 3. *numer. 5.* monetque quoad agnos intervenisse arrestum Parlamenti Parisiensis per modum Regulementi 27. maji 1559. quo cautum fuit, quod Decimatores teneantur hebdomada ante Pascha ipsos annos signare; iique signati, sint eorum periculo & oneri; verba Regulementi, prout ea refert Forgetius, sunt *Que les dismeurs sont tenuz compter, marquer, & lever, le jedy, ou autre jour de la sepmaine sainte, par chacun an, la disme d'iceux agneaux: & le dit temps passe, le propriétaire, ou les fermiers, & commis pourront compter, nombrer, & marquer, pour en cas de mort, sans fraude, en représenter, & rendre les peaux à la dite manque: douz le propriétaire, & les commis qui auront marqué seront creuz par leur serment. Que si la disme des agneaux estoit levee apres la dite sepmaine sainte, seront les dismeurs tenuz payer le salaire raisonnable, pour raison de la garde d'iceux agneaux.* Id est, Decimatores teneantur numerare, signare & colligant feriâ quintâ aut aliâ die majoris hebdomadæ annuatim decimas agnorum, quo tempore elapso liberum erit proprietario, aut ejus villico, aut ei quem commiserit, numerare & signare: ut perire eos contingat, sine fraude vellera signata exhibeat & reddat, stabiturque juramento proprietarii, & eorum quos commiserit, qui signaverint vellera. Si verò agnorum decimæ colligerentur post dictam majorem hebdomadam tenebuntur decimatores stipendium prout ratio exiget, persolvere, ratione custodiæ dictorum agnorum.

CAPUT IX.

Quomodo, & coram quo decimæ exigendæ?

1. Decima accipiende animi gratitudine, ut spirituales Deo oblatae hostiæ.
2. Cavendum ne cum nimio rigore, & specie avaritiæ exigantur.
3. Nonnulli hic abutuntur suo juramento de conservandis bonis Ecclesiæ.
4. Qui Decimatores cum majore moderatione decimas exigere debeant?
5. Refractorii decimarum debitores ad solutionem juridicè urgeri possunt.
6. De jure communi etiam per Censuras.
7. Id ipsum declarat Synodus Tridentina.
8. Mores Belgii vix admittunt quempiam per censuras ad decimarum solutionem urgeri.
9. Id ipsum præviè ad publicationem Synodi Tridentinae monuerunt Concilia Regia.
10. Jure Communi causa decimarum coram Judice Ecclesiastico tractanda.
11. Quaestiones in hac materia hic solent coram Tribunalibus Regiis agitari.
12. Coram quo actio super decimis contra laicum instrui debeat juxta Concordatam inter Carolum V. & Episcopum Leodiensium.
13. Quid circa petitorum & possessorum eadem Concordata statuatur.
14. Hodie & in Belgio & Gallia possessorum agitatur coram Conciliis Regiis.
15. Quaestio super decimis insolitis agitanda coram Concilio Regio ex Edicto Caroli V.

16. Idem & in Hispania & Gallia obtinet.
17. Cur hodie raro admodum materia decimarum agitur coram Judice Ecclesiastico.
18. Quomodo Jdex secularis procedere debeat, dum possessio est dubia.
19. Decimæ sunt fructuum; & his non excrescentibus decimæ non debentur.
20. Potest proprietarius fundum suum incultum permittere.
21. Potest in fundo suo seminare fructus non decimabiles; licet soliti fuissent seminari decimabiles.
22. Decimatur simili casu nullas decimas pretendere potest.
23. Nonnumquam ex aequitate hæc libertas restringi potest Officio Judicis.
24. Onus decimarum non solutarum non sequitur novum fundi possessorem.
25. Decimæ uno anno non petita altero anno peti non possunt.

I.  populus inducendus sit, ut decimas liberali ac grato animo, & sincerè in Deum pietate offerat, uti capite præcedenti notavimus; indubiè & ipsi Ecclesiastici suo exigendi modo ostendere debent, quod non avaritiæ aut cupiditatis sibi iri; sed tamquam spirituales Deo oblatas hostias, cum quadam animi gratitudine decimas recipiant.

II. Imprimis itaque in hac decimarum exactione observandum à Decimatoribus, præsertim Ecclesiasticis, ne cum fidelium scandalo, nimio rigore decimas à populo, interdum fat inope, & gravato, exigant. Temporalia etiam potius perdenda sunt, quam nomen Dei propter nostras exactiones blasphemetur, & proximi scandalizentur, inquebat Joannes Molanus Canonicus ad suos Canonicos in Oratione de *Defendendis Decimis* cap. 12. additque: "Pæda nimirum est macula avaritiæ, in hominibus Ecclesiasticis, maximeque eos liberales, esse decet. Unde Paulus Apostolus non poterat tuta conscientia necessaria vitæ à Corinthiis exigere, non quod ea contra justitiam, sed contra charitatis debitum exegisset."

III. Notat quoque ibidem Molanus, "quod Canonici quidam nimio rigore urgeant semper, se jurasse defensionem jurium Ecclesiæ suæ; ac proinde nihil unquam de jure decimarum ex quacumque causa remittere volunt. Quibus à doctioribus & prudentioribus confratribus dicendum est, eos ex vi juramenti non obligari ut extremo jure in decimis defendendis utantur; eo quod juramentum non sit vinculum iniquitatis, sed obligatio ejus intelligi debeat salvis honoribus Dei, & ædificatione proximorum."

IV. Omnibus quidem Ecclesiasticis convenit, ut cum summa moderatione & charitate in decimarum aliorumque temporalium jurium postulatione, & exactione se gerant; nullamque dent populis justam offensionis aut scandali occasionem; speciali tamen ratione ad eam moderationem adstringuntur illi decimatores, qui populo spiritualia non seminantes, temporalia eorum metunt; & quibus decimæ per modum quodammodo elemosynæ communicatæ sunt; vel quorum fides specialiter electa est, ut eas in pauperes distribuerent; quemadmodum supra cap. 5. annotatum fuit.

Quis enim non à ratione & justitia alienum arbitrat, quod hi quibus decimæ eo potissimum fine datæ sunt, ut iis tamquam pauperes utantur, & reliquum, ut fideles earum dispensatores in pauperes erogent, cum summo rigore eas à pauperibus exigant & quodammodo extorqueant?

V. Cæterum cum decimæ hodie non ut merè voluntariæ oblationes & elemosynæ solvantur; sed

ad